



I, 77.



I, 77.



*Anni proximè elapsi*

M. D. XCIX.

*Euentus aliquot memorabiles*

ANNOTATI

⁊

*Dauidè Chytræo.*



M. DC.

1103.








Nobili & Magnifico Domino

**I O A C H I M O**  
à **B A S S E V I T Z,**

*Præposito ecclesie Cathedralis  
Suerinensis,*

Ill. Ducis Megapolitani consiliario, ca-  
pitaneo Dobertinensi, Domino Hære-  
ditario in Leuetzovv, patro-  
no colendo.

 *F*lium Dei, Dominum  
& Servatorem nostrum Iesum  
Christum, à cuius Genethlijs,  
annum Iubileum à nato Chri-  
sto tricesimū tertium exorsi sumus, arden-  
tibus votis precor; ut nos doceat & guber-  
net, ut reliquum, quod superest vite, cur-  
riculum, piè feliciter & placidè transiga-  
mus. Ego, ut plurimos iam annos solitus  
sum, ita proximi etiam superioris anni e-  
uentuum memorabilium consignationem  
breuem confeci. Quam tibi, patrono meo  
veteri, Nobilissimo & Beneficentissimo,  
adhuc semel ante meum ex hac vita disces-  
sum, qui longè abesse non potest, dicare &  
mittere

A 2

mittere



mittere volui. Quam te, bono & candido  
animo non grauatè accepturum: & te, a-  
micosq̄, cum quibus ista communicabis,  
sine molestia lecturum non dubito. Bene  
& feliciter Vale. Datum Rostochij, Prima  
die Anni iubilæi 1600.

David Chytræus.



▲ Anno





Nno M. D. XCIX.

in orbe hoc Arctoo, Suetiæ regnum, post Regis Sigismundi superiore autumno ex eo discessum, Carolus, regis patruus, administrabat, & metropoli regni Stocholmia & cæteris locis, quæ Regi se dediderant, sine vllâ difficultate receptis: præcipuum regni propugnaculum, Calmariam, quod præsidio militum ac Ducum fortissimorum, Ladislai Bekes Vngari, Ioannis Sparre, & aliorum nobilium Suecorum, nomine Regis absentis adhuc defendebatur, obsidere cœperat. Cumq; comitia, in Transactione Lycopiensi, à Rege indicta, non præcederent; Carolus ipse, ordines regni Ienecopiam, mense Februario conuocauit. Vbi cum ordinibus regni, fœdus, ante biennium Arbogæ initum (vt constitutiones Sudercopienses constanter feruent: & , si ea de causa oppugnentur, aduersus omnes superiores vel inferiores, se mutuo, vniuersi pro singulis & singuli pro vniuersis, fideliter iu-

A 3 ter iu.



ter iuuent & tueantur: nec alium regni  
 Gubernatorem, absente Rege, quàm  
 Carolo vnum & solum, nec quenquam  
 supra eum aut iuxta eum, admittant: )  
 renouat & confirmat. Legatum etiam  
 ad Regem Sigismundum in Poloniam  
~~cum literis ordines Regni amandant,~~  
~~denuò Regi obedientiam & fidem de-~~  
~~ferentes, si, vt Rex clemens & pacificus,~~  
~~& pater propitius, non cum exercitu ho-~~  
~~stili, vt superiore anno, sed vsitato comi-~~  
~~tatu aulico, 300. aut 500 hominum, in~~  
~~regnum veniat, & iuxta leges patrias re-~~  
~~gnum gubernet. Quod si militum copias~~  
~~adducet, se, non quidem regi ipsi, sed ex-~~  
~~ercitui ipsius, coniunctis viribus restitu-~~  
 ros esse. Petunt igitur, vt rex Sigismun-  
 dus ipse in Succiam redeat. Sin Poloniae  
 regni negocijs impeditus, accedere ipse  
 nequeat; cum in hoc rerum statu, Succia,  
 Rege, in regno praesente, carere non pos-  
 sit: vt filium Vladislaum Regem ipsis  
 mittat. vel fratrem Iohannem Regem  
 praeficiat cui omnem obedientiam & of-  
 ficia, Regi debita, se praestituros polli-  
 centur.

Intes.



Interea dum hæc mandata in Poloniam deferuntur, Carolus, inchoatam Calmaria: obsidionem urget: & tota hyeme continuat, donec tandem post semestrem, præfidiarios, ad extremum durantes, Saguntina Fame exhaustos, deditio- nem facere, permissio victori vitæ ac ne- cis arbitrio, duodecima Maij coegit. ac deditos milites, 250 Polonos ac Vnga- ros, totidem ferè Germanos, ea vespera in templum urbis concludi: 48. Succos in turre arcis conijci, & postridiè, eorum aliquot strangulari iussit. Germa- nos & Polonos incolumi vita dimisit. Sed Suecos Duces, Iohannem Sparre (qui superiori anno cum Rege in pote- statem Caroli ad Lyncopiam redactus, nihil se deinceps contra Carolum, toto vitæ tempore moliturum promiserat) Christophorum & Laurentium Andree, & præfectum tormentorum, inspectan- te & approbante toto Suecorum exerci- tu, capite militari mandavit. Quibus a- stanti Vladislao Beckes, & iam in ge- nua procubituro, vitam Carolus dona- vit, hac conditione, vt aliquot nobiles



Succos, à Rege ex Suecia abductos, sui permutatione redimi & in Sueciam à Rege dimitti curaret. Germani & Poloni aliquot milites, Duci Carolo se sacramento obligarunt. Cæteri duabus navibus impositi, ad oppositum Germaniæ littus in Pomerania expositi & incolumes dimissi sunt. Machinas bellicas, quibus in obsidione usus erat Dux Carolus Stocholmiam remisit. Ad Calmariæ portum, septem naues bellicas, omni apparatu instructas, in excubiis collocavit.

Reliquam verò classem armatam, ad custodiam regni & intercipiendas hostium naues, passim in toto hoc mari Balthico vagari sinebat, quæ Lubecensibus præcipuè infesta erat. Cæterarum civitatum, V Vismariæ, Rostochij, Sundiæ, & totius Pomerantiæ incolis parcebat.

Partâ verò ad Calmariam victoria, Carolus, regni totius comitia Stocholmiæ mense Julio celebravit, in quibus primùm res ad Calmariam gestas exposuit, quibus occasionem præbuerit Regia Mtas, discedens à promissis & pa-

ctis



his Lyncopiæ initis, de omnibus peregrinarum gentium militibus ex regno dimittendis, sed Calmariam præsidio exterorum militum muniens addito mandato, ne vnquam Succis arcem restituerent. Quod cum Iuri regni, & regis Iuramento, & paci Lyncopiensi repugnaret, visum esse ordinibus, Lenecopiæ congregatis, vt Dux Carolus vi eam regno rursus adiungeret. Petit igitur, vt omnes regni ordines id factum communi nomine & consilio susceptum esse fateantur & pariter defendant.

Deinde; Securitatem suæ vitæ, insidijs pontificijs & aliorum apostatarum expositæ, & auxilium in gubernatione maius, sibi præstari Carolus flagitat, si diutius hanc molem curarum & laborum pro salute publica sustinere debeat.

3. Cùm Finnonēs & Liuoni aliquot Coronæ Sueciæ subiecti, sæpe admoniti nondum se regno vniuerint, nec nisi illis adiunctis, pax & tranquillitas in regno esse ac retineri possit; deliberare iubet, qua ratione ad obedientiam coronæ præstandam Finni reduci queant.

4. Cùm con-

filia.



filiarj regni, Archiepiscopus & cæteri  
 iam captiui, causam omnibus his turbis  
 regni dederint: postulat, vt ordines, si-  
 cuti Ienecopiæ promiserint, secundum  
 leges Suecicas, iustum de illis iudicium  
 pronunciare & exequi velint. 5. An Lu-  
 becenses, qui violata pace Stetinense,  
 hostiliter Suecos & eorum naues, a resto  
 detinuerunt: priuilegijs suis in regno di-  
 utius frui debeant. 6. Cùm aliquot co-  
 ronæ ministri, & ciues Sueci & Germa-  
 ni, ex regno sponte cesserint, qui practi-  
 cis suis hostilibus regno nocere molian-  
 tur, an his reditus ad sua bona permit-  
 tendus? an eorum vxores & liberi in re-  
 gno tolerandi? vel, an cum fugitiuis il-  
 lis, iuxta Sudercopiense & Arbogenic  
 decreta, tanquam contra seditiosos &  
 proditores procedendum sit? Postremò,  
 cùm Rex hætenus ad literas ordinum  
 regni, Ienecopiâ ad se datas, nihil re-  
 sponderit, vt deliberent, quid deinceps  
 à rege expectandum, & quid in hoc ne-  
 gotio præterea agendum, an regi ad o-  
 bedientiam deinceps præstandam obli-  
 gati sint?

Cùm



Cum autem omnibus his Articulis, ordines regni, prolixius, quam optabat Carolus, assensissent: inter cætera, publico ordine decreto Regnum Sigismundo abrogant, & fidem ac obedientiam omnem illi deinceps renuntiant. Vladislaum tamen filium ipsius, si intra sex menses in regnum Sueciæ veniat, ut in religione & legibus Suecorum educetur, & iuxta leges Suecicas regnum administret, se non excludere ostendunt. Ciues & alios ex regno profugos Suecos & Germanos, nisi intra certum diem redeant, & se iudicio sistant, perpetuo proscriptum iri, & bona eorum confiscanda pronuntiant. Lubecenses verò, qui Suecorum naues & merces a resto detinuerant, priuilegijs suis in regno tantisper priuandos, donec legitimo modo cum regno transegissent.

Ante omnia verò amplissimam FIN-  
NONIAE prouinciam, quæ hætenus  
cum Rege Sigismundo senserat, Coronæ  
regni



regni Sueciæ iterum adiungendam censuerunt. Carolus igitur præmissa in Finnoniam classe, exeunte Augusto ipse eò trajcit, & copias Finnonum, quarum Axelius Korck Dux erat, sibi occurrentes, cum cohorte prætoriam singulari animi ardore aggreditur, ubi periclitantem Carolum, Iohannes Back, cum sua acie se interponens, magno cum sui capitis discrimine suorumq; amissione, Finlandarum copias fudit & profligauit. Imperator verò Finlandorum Axelius V Viburgum peruenit, ubi suos ad fortunam belli vltèrius tentandam adhortatur, Carolumq; eò non peruenturum suis hominibus persuadere nititur. Carolus verò Duces aliquot in loca mediterranea mittit, vt iuramentum subiectiones & fidei solenne à nobilitate & rusticis passim accipiant. Ipse verò summa celeritate cum maxima parte exercitus Helsingforsam & inde V Viburgum oppidum munitissimum ad fines Russiæ, Circulo Arctico subiectum, contendit. Vbi sine magna difficultate, præsidiarijs ipsis arma aduersus Carolum inhibentibus, & socios

cios



C I C A

ciōs Germanos trucidantibus, ciuitatē  
& arce Carolus potitus est

Tribunum equitum Germanorum,  
Casparum Tisenhusium, & coadiuto-  
rem eius, Guilhelmu[m] Farensekiu[m],  
Georgij fratrem, in arce V Viburga ce-  
pit, quos adhuc in custodia seruat. Sig-  
nifer equitum Germanorum, Ioachimus  
Greue, cum aliquot equitibus in Rus-  
siā aufugit.

Clāsis sex nauium ducis Caroli,  
V Viburga soluens 23. Octobris Neruā  
appulit, & nouum capitaneum Petrum  
Stolpe, nobilem Suecum, cum aliquot  
centum militibus adduxit, qui à Ner-  
uensibus & Rutenis Iuuanogrodensi-  
bus, machinarum tonitribus, & sum-  
ma lætitia exceptus est.

Dux Carolus, post aliquoties à gu-  
bernatore & senatu Reualienti flagitatā  
cum Duce Carolo & corona regni vrbis  
coniunctionem tandem 2. Nouembris  
categoricum responsum postulauit sed  
Reualienses, se coronæ Sueciæ mem-  
brum mansuros esse professi, nec à iu-  
ramento fidelitatis, Sueciæ & Poloniae  
regi



regi præstito, deficere posse, responderunt, & in eo perstant.

Dum hæc V Viburgi aguntur, Arvidus Erici, & Iohannes Flemmingius, præfecti arcis Abouiensis, deditioem faciunt, Architalasso Iacobo Schelio, permissio principi Carolo vitæ ac necis arbitrio. Sic Finnonia, etsi quidam viri nobiles earumq; matronæ & liberi Reualiam effugerunt, tamen tota in Caroli potestatem tum peruenit.

Qui, parta hac victoria, occupato V Viburgo, Finnoniæ metropoli, comitia Finnonum Abouia indicit. Vbide multis, qui Carolo se hæctenus opposuerant, supplicium capitale sumptum est, & Caroli exercitus, passim ad fines Russiæ & Liuoniæ in hyberna distributus, & Finnis alendus est impositus: Præfecto toti Finnoniæ Iacobo Schelio Architalasso. Carolus, sine amplioribus copijs mense Nouembri in Sueciam reuersus comitia regni induxit, de quibus deinceps dicemus.

Classis verò regis Sigismundi octo nauium, ad Elsburgum, extremum re-

gni



gni Sueciæ ad mare occidentale portum  
missa, subsidente in scopulo marino na-  
ui prætoria, & cæteris fœdè à Caroli na-  
uibus, in portu excubantibus, reiectis &  
pulsis, reinfecta & lacera retrò cedere  
coacta est. Sic omnia ex voto & animi  
sententia Carolo succedebant.

Ericus Iohannis.

**GUSTAVVS** Rex sapiens, fortis & felix,  
natus 1490. Rex electus 1523. obiit 1560.

**ERICUS IOANNES** Ma- CAROLUS, Dux  
XIII. III. Rex gnis. Hereditarius et  
Rex, Suecia, natus Hoc tempore Gu-  
deposi- 1437. die 21. bernator Regni  
tus Decemb. Suecia, natus  
1568.

1550. die 4. O-  
ctobris.

**SIGISMUNDUS** III. Ioan-  
natus 1566. 20. Iu- nes,  
nij, Rex Poloniae e- puer  
lect. 1587. Rex Sue- decē-  
cia coronat. 1594. nis.

**GUSTAVUS** Adol-  
phus, natus 1594  
die 9. Decem-  
bris.

**VLADISLAVUS** natus  
1594.



H I S P A N I.

In Saxonix inferiori finitima diæcesi  
Monasteriensi, & ad Rhenum, in Cli-  
uia, Bergensi ducatu & Marchia V Vest-  
phalix, Hispanicus exercitus, cui Fran-  
ciscus Mendosa, regni Aragonix Ad-  
mirabilis præerat, in hyberna distribu-  
tus, quietè & tranquillè totam ad-  
huc hyemem cômorabatur; quantumuis  
fremetibus ac indignantib. vicinis Im-  
perij principibus, qui Francofordix ad  
Menû, Erphordię, Colonia, Confluentię  
Magdeburgi, & in plerisq; circulis, con-  
uentus agentes lentis deliberationibus  
& belli ostentatione, tempus terebant.  
Etsi enim Henricus Iulius Dux Brunsvi-  
censis, Brandenburgicus, Ansbacensis,  
Mauricius Halsix Landgravius, Simon  
comes Lippiensis, V Vestphalici circuli  
præfectus, copias collegerant: tamen  
antè Iulium vix aperto Marte bellum ge-  
rere cœperunt.

Prius enim, plurium circulorum seu  
prouinciæ auxilia, sicut in constitu-  
tionibus Imperij de pace publica ac Ex-  
ecutionis ordine sancitum erat, sibi ad-  
iungenda iudicabant. Itaq; , vt cæteros  
CON-



C O N F L V E N T I A E.

uentus omittā, C O N F L V E N T I A E  
tandem, Electorum ad Rhenum, Fran-  
corum, Rhenensis superioris, VVestpha-  
lici, & inferioris Saxoniae circulorum  
consiliarij, ab illis euocati, post repeti-  
tam priorum conuentuum propositio-  
nem, de in audita Hispanorum in VVest-  
phalico praecipue orbe Tyrannide & in-  
solentia reprimenda, & auditos Cæsareæ  
Mtis commissarios, & Andream Cardi-  
nalis Constantiensis, & Alberti archi-  
ducis Austræ consiliariū Ferdinandum,  
baronem Madruzium, (qui vtriusq; no-  
mine milites ex solo Imperij abductum,  
& damna illata compensatum iri sanctè  
pollicebatur) instituta deliberatione, o-  
mnes *συνπαροῦν* erga vicinos suam, qui-  
bus iuxta Imperij decreta se auxiliares  
manus porrigere & Cæs. Mtis ac imperij  
existimationem, autoritatē & commo-  
da conseruare & tueri debere, & prom-  
ptos esse, ostenderunt.

Cum autem Cæs. Mtis commissario-  
rum oratio eò directā fuisset, vt ordines,  
considerata Cæsaris paterna sollicitudi-  
ne & mandatis editis, & secuta archidu-

B

cis



C O N F L U E N T I A E .

re Alberti & Cardinalis Andreae (quibus inscijs per Amyralem Aragoniae haec scelera perpetrata sunt:) liberali pollicitatione de copijs ex solo Imperij deducendis & damnis refarciendis: aliquantisper exitum promissionum expectent, & arma multis etiam alijs causis allegatis, paulum adhuc inhibeant:

Electorum Rhenensium legati plerique, Nihil hoc tempore, contra alterutram partem bellum gerentem, vi offensiva tentandum, sed promissionum illarum exitum praestolandam esse censebant; sicut in ipsa executionis constitutione cautum sit, etiam a quinque circulis, ut necesse sit ad comitia vel Deputationem Imperij causas deferri, & mature ac diligenter deliberari debere. Nunc vero magnum utriusque partis belligerantis potentiam, & milites ultra triginta annos in armis exercitatos esse. Regem Hispaniae pariter bella cum Belgis & alijs exteris regibus gessisse, & damnis alicubi acceptis, nihilominus iterum emerfisse, & viribus maioribus bellum instaurasse.

Quod si petita Executio suscipienda est.



CONFLUENTIÆ.

da esset, non solum pari numero militum opus fore, verum etiam partes offensas, ad vindictam irritatum & periculum toti Imperio non exiguum accersitum iri. Itaque offensione nostra, molem ac sedem belli ex Belgico in solum Imperij attrahendam, non videri, praesertim cum executionis constitutio gradus certos habeat, & media proponat; ne paucae prouinciae in tantum pelagus discriminum se immergant, sed plurimum aliorum circuloꝝ consilio vtantur, nec sine Caesareae Mti, tanquam supremi capitis Imperij consensu, tam periculosa opus a se suscipiant; Quae violenta & ancipitia haec media plane dissuadet. & archidux Albertus ipse roget, vt fides ipsi tanquam principi, Germanico sanguine nato, habeatur, & ad satisfaciendum omnibus damno affectis sese offerat; cuius laudatissimi principis promissis merito non diffidendum sit, nec celsitud. ipsius causam non seruandi promissa praebendam esse, Si Belgicas ditio- nes ipsi accreuisse nostri se dolere ostendant.

B

2

Cum



COMPLEMENTIAE.

Cūm igitur tanta huius causæ magnitudo, tantum periculum sit, vt communi omnium Imperij ordinum deliberatione indigeat, petendum à Cæs. M. vt comitia Imperij maturè indicat. Ita caueri posse, ne his quinq; circulis obijci aliquando possit, quod non præscijs nec assentientibus cæteris, Imperium grauissimè adfligere & irrecuperabili damno afficere moliti sint. Interea adflictos Imperij ordines non destitui ac planè deserere debere, sed NOVE M mensium contributione, ad Ioannis Baptistæ, Bartholomæi & Martini, hoc anno iuuandos esse: non ad offendendum, alterutros, sed defendendū ne vltèrius progrediantur, & recuperanda alia loca quantum commodè fieri possit. Quod si ordines aliqui, transitu vel lustratione militum, vel alijs modis detrimèti acceperint, nec militib. pro alimentis soluerint: contributiones promissas inhibere & solutionē à circulo, cui milites seruiunt, exigere poterunt.

Hanc electorum sententiam, quam moderatissimam & rectissimam esse pleriq; cordatiores postea iudicabant, pleriq;



CONFLENTIAE.

riq; etiam Francisci Legati suo suffragio magna ex parte comprobarunt.

Ceteri autem Franci, cum Rhenense superiore, Westphalico, & inferioris Saxonie circulo, monuerunt, constitutiones Imperij de pace publica & auxilio adflictis ordinibus ferendo extare; nec AN? sed Quomodo executioni illas dari & in actum deduci oporteat, nunc deliberandum esse. Etsi autem Cas. Mtis. ac Electorum gravissimam sententiam audiuerint: tamen satis tempestive archiducem & Cardinalem ab Electoribus & principibus, de suorum militum violentia edoctos esse: & quanquam aliquoties Amyralis, se ex fundis Imperij militem deducturum datis literis & sigillis promiserit, tamen & electorum ac principum subditos gravius interea pressos, oppida & arces machinis ad deditorem coactas, contributiones auctas, & precipuos pacis publice violatores (qui insciis archiduce & Cardinale tam tetra scelera patrasse nunc dicantur) non tantum impunitos, sed in summis honoribus & officiis militaribus continuatos esse. Nec de restitutione omnium locorum, nec de compensatione damnorum



CONFLUENTIÆ.

serio ab illis hætenus agi. Nullam igitur fidem, inanibus his promissis toties frustra habendam, sed, ordinibus, iam 32. annis hoc bello vexatis, & nunc in septimum mensem intolerabili mole oneratis, operam ferri, & patriam carissimam & veterem Germanici nominis gloriam, aduersus iniquissimam externorum violentiam defendi oportere & defendi posse, si ordines singuli, quod suum est conferant, & fideliter se mutuo iuuent. Ignominiam quoque & periculum haud leue, Cas. Mti & toti Imperio allaturum esse, si apud exteros & vicinos intelligatur, eos sua mandata & decreta exequi non solere.

Quare maioris partis suffragiis decretum est, vigore constitutionis Imperij: Westphalico circulo, & alijs ordinibus afflictis triplicata auxilia, ut in Decretis Imperij ordinata sunt, quamprimum mittenda esse, ut ambe partes bellatrices, vel alterutra non obediens, ex fundo Imperij suos deducere, damna illata resarcire, ne similia deinceps inferant cauere, & libertatem commerciorum non impedire cogantur, & hæc auxilia tantisper, donec ad hunc finem deuentum sit, continent, & contributiones ex



COMPLEMENTIAE.

Angulis circulis tempestiue mittant, vnde  
militibus & per eos subditis debita soluant.

Capitaneum exercitus generalem con-  
stituerunt SIMONEM comitem Lippien-  
sem, Westphalici orbis, auxilium implorā-  
tis, militiae praefectum contradicentibus qui-  
dem inferioris Saxoniae, electoris Palatini  
& Marchionis Ansbacensis Legatis, sed à ce-  
teris circulis, quod Imperij Executionis de-  
creto congrueret, electio confirmata est. Huius  
capitaneo supremo ceterorum orbium pra-  
fecti, quando & ubi cum suis copijs se siste-  
re possint, significabunt, & quo loco & mo-  
do omnia ad Imperij honorem & ad flictio-  
rum ordinum salutem instituenda et agen-  
da sint, cum eo deliberabunt & concludent.  
Militem ita ducent & lustrabunt, ne alijs  
principibus eorumue subditis oneri sint, nec  
in aliorum ordinum ditionibus, quas trans-  
eunt, quidquam in religione aut politicis  
mutabunt, nec presidia in oppidis, nec ca-  
stella munient sine legitimi magistratus lo-  
corum consensu, omnia etiam oppida &  
loca auxilijs circulatorum occupata, priori-  
bus Dominis statim restituent. Roganda et-  
iam Caesarea Beatus videtur, ut non solum



## CONFVENTIAE.

mandata à se edita, donec obedientia illis plenè prestetur, constanter urgeat; & ad executionem Banni contra inobedientes procedat, verum etiam Nobilitatem Imperij, immediatè sibi subiectam, ad societatem huius defensionis inuitet. omnibus etiam reliquis Imperij circulis, decretum huius conuentus indicandū, ut singuli cum requirentur, vigore constitutionum Imperij, quod sui est officij prestent. Cetera in hoc negotio ad salutem Imperij & leuandis adflictorum calamitatibus scientia, capitanei generalis & ceterorum praefectorum prudentie ac fidei committuntur. Senserunt aliqui, etiam si ambae partes belligerantes, postulatis Imperij satisfecerint, nihilominus tamen ex ceterorum circulo- rum contributionibus, praesidia in sinibus collocanda esse, quae deinceps similes impressiones arceant, sed haec suis superioribus referenda tantum legati susceperunt. Omnes tamen ostenderunt, se, si deinceps simili necessitate, (quam Deus clementer auertat) oppressis, opus sit similem promptitudinem, quam ipsi iam declarent, in ferendis auxilijs, à ceteris vicissim expectare. Quo casu, iuxta  
consti-



CONFLUENTIAE.

constitutiones Imperij, fideliter singuli coniunctis auxilijs se mutuo iuuare & tueri debere sancitum est.

Deinde commissarijs Cas. Mtis responsum. Legatis autem Andreae Cardinalis Constantiensis, in consessu consilij quinq. circulatorum indicatum est, longè diuersa ab ijs, quæ tam sanctè & prolixè polliciti essent, ad se deferri. Quod si facta, promissis congruentia, deducto ex terris imperij milite, & damnis sarcitis, & præstita mandatis Casareis obedientia legitima apparent; certò se asseuerare, nihil in celsitudinis ipsius præiudicium vel detrimentum, in hoc conuentu actum aut decretum esse, ac eiusdem argumenti literæ ad Cardinalem Legatis datae sunt. Postremò, unitarum prouinciarum status, de restituendis oppidis Imperij à se occupatis per literas admoniti sunt.

Huic decreto cùm parère generalis copiarum præfectus, Simon comes Lippiensis studeret: & miles peregrinus sponte iam ex plerisq; imperij oppidis discessisset: tardior ac lentior Ducibus

B 5 qui-



B E L G I C A

quibusdam, qui Hollandorum partibus additi, palàm se cum ijs coniungere cupiebant, esse visus est, vt postea exponam.

HISPANI verò statim post factum Confluentiæ decretum, Calendis nostri Aprilis, ex hybernis V Vestphalicis educti, etsi cætera ducatus Bergensis ac Cleuensis oppida, libera iterum relinquebant, tamen vt Rhenum in potestate retinerent, & liberum ac tutum in Geldriam aditum ac receptum haberent: quinque ad Rhenum Cleuensia oppida, Rees, Emmerich, Calcar, Goch, Gennepe, præsijs suis muniunt. ac primò Schenkij, quod vocant, castellum tentant, à quo fœdè repulsi, in cryceto Morsensi exercitum lustrant, & Neomagense præsidium nòro sine suorum damno prouocant. Frustra igitur Neomagum se obsessuros videntes, ad V Vahalim in Bommelverder initio Maij descendunt. Sed fortissimè defendente Bommeliam Mauricio Nassouio, exercitus Hollandorum & vnitarum prouinciarum Imperatore, cum totum mensem Hispanus in ea vrbe

Oppu.



A L B E R T V S.

oppugnanda, irrito tandem euentu consumisset: initio Iunij, soluta obsidione, integrum adhuc mensem, in ea Insula Rossumi deledit, vnde cum Trelam munitissimum Geldriae oppidum petiturus, & ad Herverden pagum, VVahalinam transiturus existimaretur: Mauricius opposito Castello, mediae lunae figura, praesidio fortissimorum militum munito, institutum iter, non sine Hispanorum clade impediuit. nec quidquam hac aestate, Hispani vel Hollandi in ea insula memorabile praeterea gesserunt, nisi quod castra castris opposita, & aggeribus ac fossis munita, vtrinque sua defendere, ac hostem, ne latius grassaretur, arcere conati sunt.

Dum verò Hispanorum exercitus in VVestphalia adhuc hybernaret, A L B E R T V S Archidux Austriae, Belgici gubernator (cuius auspicijs Hispani aduersus Hollandos & vnitas prouincias militabant) totam ferè hyemem, quae solito asperior eo anno erat, in Italia, cum Margarita patrucele sua, Philippi III. Hispaniae regis sponsa, Ferrariae per Clementem

VIII.



A L B E R T V S.

VIII pontificem consecrata: & illustris-  
sima illius matre, Caroli Austriaci vi-  
dua: & reliquo comitatu desedit. Incun-  
te Martio demum Genuę conscensã clas-  
se, littora Ligurię Niccam usq; præter-  
legens, tandem in Hispania ad portum  
Rosas, & inde Viucros, circa idus Apri-  
lis Gregoriani, appulit. Hinc celeribus  
equis Albertus Valentiam, ad serenissi-  
mum Hispanię regem, illiusq; sororem  
Isabellam, sibi desponsam, excurrit. Qua  
Dominica palmarum salutata: postridie  
Madritum seu Nantiam Carpetanorum,  
ad matrem Imperatricem, Maximiliani  
II. viduam discessit, Quam die Parasce-  
ues inuisit, ac quinq; dies usq; ad finem  
feriarum pasche apud eam commoratus,  
Valentiam recurrit.

Inrerea, regis Philippi sponsa, cum  
in portu Viucros aliquot dies quiescisset,  
& regis nomine per Marchionē de De-  
nia, supremum stabuli magistrum, cum  
illustri nobilium comitatu excepta esset,  
terrestri itinere, Valentiam versus profi-  
ciscens, Monuiedro, veteri nomine S A-  
G V N T V M, ab Annibale oppugna-  
tum,



tum, quatuor milliaribus Valentia distans peruenit, vbi deuotione religionis totam ante pascha hebdomadam, pœnitentiæ destinata, singulis diebus à Rege per legatos salutata, permansit.<sup>16</sup> Aprilis Sagunto ad Michaëlem de Regibus, monasterium vno milliari Valentia disitum veniens, comitata duce de Infantafgo, Admyralio Castiliæ, alijsq; proceribus, inuisit comitissam & serenissimam Infanteni.

<sup>18</sup> Aprilis, Dominica Quasimodogeniti, quæ nobis Paschæ festum fuit, Ingressus Reginae ex monasterio S. Michaëlis, in vrbs templum Cathedrale, & Nuptiæ regis cum Margarita Austriaca, Caroli filia: & Alberti Archiducis, cum ISABELLA Clara Eugenia, Philippi II. regis Hispaniæ filia, celebratæ sunt. Reginae ingredientis pompa, vsque ad horam primam pomeridianam producta est, qua templum introeunte, eadem hora, Rex etiam serenissima infante, sorore, & Alberto sponso per aliam domum ingreditur.

Vbi,



N U P T I A E.

Vbi, Regali solennitate, ceremonijs  
 copulæ matrimonialis peractis, quæ tres  
 ferè horas durarunt, longo ordine tem-  
 plo egressi; Regina vecta cisio, assiden-  
 te illi ad sinistram matre, ad dexteram  
 serenissima Infante; Rex equo insidens,  
 & proximè ferè ad ipsius latus archidux  
 Albertus, tandem per multas portas seu  
 arcus triumphales Palatium ingrediun-  
 tur. In conuiuio nuptiali summo loco  
 sedit Reginae mater, ad illius dextrum  
 latus Regina: ad sinistrum Serenissima  
 infans Isabella Reginae assedit Rex: In-  
 fanti Albertus. Mensis remotis cho-  
 reas duxerunt: Rex bis cum Regina:  
 toties Albertus cum Infante. tota nocte  
 è machinis bellicis globi eiecti, varij i-  
 gnes incensi & artificiosè eiaculati, &  
 sequentibus diebus, varia letitiæ signa,  
 plurima spectacula & festiuitates conti-  
 nuatæ sunt. Maio exeunte, Rex Philip-  
 pus II cum coniuge Madritum, Alber-  
 tus verò cum Isabella, Belgici Domina,  
 Barcelloham versus profecti sunt. Vnde  
 Genuam traiecerunt, & aliquot dies  
 Mediolani commorati, Alpes transie-  
 runt,



runt, & per Basileam, Vesontium But-  
gundiæ metropolim, Lucelburgum, len-  
tis itineribus procedentes, tandem  
26. Augusti. Iul. s. Septemb. Greg. Bruxellas, solenni pom-  
pa, cælo admodum pluuio ingressi, &  
summa omnium ordinum gratulatione  
& lætitia excepti sunt.

Inauguratio autem Nouorum prin-  
cipum solennis, aliquot adhuc menses  
dilata est, quòd Ordines Brabantix &  
conciliatarum prouinciarum require-  
rent, vt noui principes prius extraneos  
milites omnes ex arcibus Antverpiensi  
& cæteris dimittant; & omnes arcium  
præfecturas, officia & munera, natura-  
libus Belgis conferant. & Lætum Introi-  
tum, quem vocant; seu priuilegia omnia,  
sanctè & mediante iuramento promittant.  
Vt cum Hollandis socijsq; confederatis  
pacem ineant. In primis verò ne Belgicæ  
prouinciæ, à corona seu Rege Hispaniæ  
in feudum tenerentur, quod articulus  
quidam paternæ donationis innuere vi-  
debatur, de quo ordines, cum Regis do-  
nationem approbarent, ante biennium  
etiam protestati erant. De



A F L G I C O.

De his articulis dum in Brabantia Albertus archidux & Isabella cum ordinibus tractant: Philippus V Vilhelmus Auranæ Dux ad Gallia Regem proficiscitur, ut fœdera, amicitiam & pacem, cum Philippo II. Hispania rege initam, confirmari, & intercessionem regis Gallia de pace cum Regina Anglia instauranda, actionem institui curet. Quo nomine Rex, Caleti præfectum, statim ad Reginam misit. Quæ etsi fraudulentæ actionis de pace, Brugis in Flandria institutæ ac Hispanis, ut incauta & nihil hostile expectans, classe illa terribili obrueretur, oratione sua meminit, tamen se à honesta & tuta pace non alienam esse ostendit, si legati ad eam, cum plenis mandatis mittantur.

Exeunte Nouembri tandem, Louanij, & postea Bruxellæ: Idibus Decembris Antvverpiæ, & deinceps alijs in urbibus iuramentum fidelitatis Albertus & Isabella acceperunt.

Maxi.



Maximilianus I. IMP.

Obijt 1519.

Philippus I. Rex Hispania, obijt 1506. ante patrem.

CAROLVS V. IMP.

Sapientia, virtute, potentia  
& felicitate excellens.

Obijt 1558.

PHILIPPVS II.

Rex Hispania. ob. 1598.

PHILIPPVS ISABELLA, Al-  
III. ex Maxi- berti sponsa, ex He-  
milianii II. filia rici II. Gallia Regis  
natus. filia Elisabeth pro-  
gnata. 1566. die  
Clare.

FERTINANDVS IMP.

Ob. 1564.

MAXIMI Ferdinandus Carolus,  
LIANUS II. Tyrol. ex Phi. Graecia  
IMP. obijt. lippina VVel. in Stiria  
1576. seriana. ob. 1590.

RODOL- ALBER-  
PHVS tus, olim  
IMP. Card. Ar-  
chidux

Austria, Belgici  
gubenator, sponsus Isabella

Andre- M AR-  
as Car- GARL-  
dinalis TA,  
Constä- sponsa  
tiensis. Philip-  
pi III.

SIGIS-



TRANSYLVANICA.

SIGISMUNDVS Transilvaniae Princeps, quem velut Heroem magnanimum de caelo datum, haecenus admirati fuimus, specimen naturae variae & inconstantis, hoc anno singulare edidit. Cum enim superiore anno, violatis pactis cum Caesare initis, ex Silesia in Transylvaniam Pegasario cursu clam rediisset: & se ac populares suos Transylvanos, à fide & iuramento, Caesari praestito, liberari; & Varadinum ac vicinas regiones sibi restitui petiisset: eunctrante Caesare, initio anni Legatos ad eum mittere, Episcopum Albæ Iuliæ & Stephanum Paschali Cancellarium, qui priora pacta renovari, & ditionem Trebnitz in Moravia, duobus in Silesia Ducatibus Oppaviae & Ratiboræ addi, & annuos 50000. aureos ex Camera Imp. adiungi, & ordinibus Transylvaniæ, defectionem à fide, Caesari datâ, condonari, & privilegia ac libertates singulorum confirmari impetrabant. Cum his conditionibus, 9. Aprilis Iuliani, Pragâ Legati discedunt.

Interea Sigismundus, domi nova consilia, & omninò prioribus repugnantia, cum Polonis aliquot proceribus cudit, qui Turcicum ministrum, quem Ziaus nominant, Constantinopoli: & Andream Bathor patruelem, Episcopum VVarmiensem, ex ultima Borussia evocant, & in obscuro Transylvaniæ oppido, Polonis finitimo, unâ cum legato Turcico, & Sigis-



## TRANSYLVANICA.

Sigismundo ac Delectis ordinum Transyluaniæ ab ipso adductis, conueniunt. Vbi ditio- nem Transyluaniæ, patrueli, Andreæ Bathori tradit, ac delectos prouinciæ statim Cardinali iuramentum fidei & subiectionis præstare Si- gismundus iubet. Andreas Cardinalis famili- arem petiturum saluum conductum legatis cum Turca transfectoris, Constantinopolin cum Polonico mittit, qui ambo clementissimè in Portà excepti, vestibus sericis, auroq; illis donati sunt: additis mandatis, vt intra tres menses, legatum solennem, cum tributo ad portam mittant.

Deinde rursus spes pacis & reconciliationis cum Cæsare ostenditur, cum pontificius nun- cius in Transyluaniam, Pegasario cursu pro- fectus, illius animum ad saniora consilia, & re- tinendam cum Cæsare & reliquo orbe Christi- ano concordiam flectere conetur. Sed hæc Transyluanica paulò post suo loco pertexam.





STEPHANVS BATHORI de Somlio, Palatinus Tran-  
sylvania, uxor Catharina Telegdia.

STEPHANVS CHRISTOPHO-  
princeps Transyl- rus princeps Tran-  
uania 1561. Rex sylvania post fra-  
Poloniae creatus trem regem fa-  
1576. ctum 1576.

SIGISMVNDVS, prin-  
ceps Transylvania fuit.

ANDRAEAS, Isabella regina  
Vngariae Palatij praefectus

STEPHANVS, Bal- ANDRAEAS  
ad Plescouiã pa- tha- Cardinalis  
truo militauit. sar. Bathoreus,

Episcopus  
Varmiensis,  
in Borussia,

Sigismundo in Transylvania hoc  
anno successit & excessit.

Exerci-



TRANSYLVANICA.

Exercitus verò Cæsareus in Vngaria mense Iunio nondum cōductus fuit. Descenderunt tamen indies per Danubium Suevicæ & aliarum gentiū copiæ. ac ex superiori Saxonia vir fortissimus Iohannes Osterhusius mille equites in Pannoniam mense Iul. duxit. Cæteri Saxoniarum Principes, ob intestinum cum Hispanis bellum, nullas in Vngariam copias hoc anno miserunt

Exeunte Iunio, à Strigonio & Comorra perscriptum est, Volones Cæsareanos, quos Heidoccos dicunt, circiter mille ducentos posteaquam per exploratores cognouissent, Actuarijs ultra cētum, varias merces & commeatum Budensibus, fame & inopia laborantibus, aduerso Danubio, cū præsidio quinque millium Turcarum supportari, & nauigijs Budæ exoneratis, pontem Pestanum refici debere; se in viam opportunè dedisse, & ad viginti infra Budā miliaria, ex insidijs, Turcarum agmen, naualesq; socios improvidos inuasisse, partemq; eorum maximam occidisse: ac cæteris in fugam actis, commeatum in Danubium

C 3 effu-



TRANSYLVANICA.

effudisse: nauigia verò, exportatis inde mercibus, fracta & lacerata in flumen depressisse.

Moschus, Legatum ad Poloniae regem mense Aprilis miserat, qui cum V Varsoviae introductus ad Regem esset, clepsydram, & acinacem, vagina media sui parte eductum, & sclopetos aliquot, ex eorum genere, quos milites humeris gestare solent, importauit: vt ipse dixit, dona à suo Principe Regi missa: vt alij sunt interpretati: belli denunciandi signa, quod clepsydra significari videretur, Inducias, cum Polono pactas, propediem exituras esse. Acinace verò nudato & sclopetis ostenderetur, Moscum tam ad pacem, quam ad bellum paratum esse.

Summa legationis, de Iudicijs iam exeuntibus fuit, vt prorogarentur: ac vt quadraginta equitum millia per Poloniam ire Rex pateretur: quos equites, Caesari, aduersus Christiani nominis hostes, Moschus subsidio missurus esset, additæ huic postulationi etiã cõditiones fuerunt, quib. pax inter Polonos & Moscos confirmaretur, & commercia inter gentes has vicinas exercerentur.



Rex iter per Poloniam se Moscis dare posse negavit, & de Iudicijs & conditionibus pacis deliberationem ad comitia regni reiecit, post quæ, per Legatum Mosco responsurus esset.

Moscos igitur, alienato à Polonis animo, Legatos ad Cæsarem suos, in portu S. Nicolai, Anglicam Naui e mscendere, & Sueciæ, Norvvegiæ & Daniæ regnis circumnavigatis, per Albis ostium in Germaniam penetrare voluit. Qui toto trimestri in mari consumpto, Stadæ tandem oppulerunt. Inde Hamburgam; Lubecam, Magdeburgam; & in Boëmiam ad Cæsare peruenierunt. Vbiq; Hamburgi præcipuè ac Lubecæ, honorificentissimè excepti, magnificè ac ex magni principis sui dignitate, sparsa etiam in vulgus pecunia, se gerentes, ciuitatibus Anseaticis, spem amplissimam Emporij Neogardensis in Moscouia instaurandi faciunt. Ab Imperatore Rudolpho, Pilsenæ, quòd pestis Pragæ grassaretur, die 10. Cëtobris, auditi sunt, præmissis muneribus, candidis aliquot Falconibus & auro ac gemmis distincta equestri  
D 4 claua,



claua, brachiali, poculo: Tympano, imagine S. Nicolai, Pannis Perficis auro intertextis, Zabellinatū quadragenis quatuor, & vulpiū aliquot pellibus nigris.

Munera sequebantur duo Secretarij, eleuatis in sublime brachijs, binas epistolas, fidei legato habendæ testes, alteram patris Borisouij, magni Moscouiæ Ducis, alteram Filij. serico obuolutas exhibuerunt postea princeps Legationis admissus proposuit.

Turcico autem nuncio Poloni Pragæ, vt de Pace cum Imp. instauranda ageret, pertexere institutum iter, qui se Gabrielem nominabat & Iudæum esse profitebatur, permiserunt Qui cum Pragæ appulisset, nec documentum Legationis seu literas fidei testes (quod eas in itinere Polonico sibi à Cosaccis ereptas, trucidatis etiam aliquot comitibus, narrare) exhibere Imperatori potuisset, pro exploratore habitus, & Viennam missus est, vbi in hospitio publico benignè exceptus, noctu per præfectum rerum capitalium, ex cubiculo abductus, & manibus pedibusq; ferro vinctus, carceri mācipa-



TURCICA.

cipatus est. cum cæteri comites iniectis  
compedibus operas seruales in fossa vr-  
bis obire quotidie cogerentur.

Summi Tartarorum Cami legato, de  
pace inter Imp. & Soltanum Turcarum  
acturo, responsum scribunt: Si Vngariã  
Turcus Cæsareæ Mri, vt vero & legiti-  
mo Regi & Domino, integram restituat  
& tradat, benigne responsum & pacem  
conclusumiri.

Turcus vicissim, *ἄμοσ κρημνίσω δ' ἔστυ*  
ostendens, in Vngariam, ingentem ad  
130. mill. exercitum, duce Imbraimo Bas-  
sa misit, qui initio Septembris Budam  
appulit, ac Imperatoris sui nomine, Pra-  
gã retulit non se metu, aut virium imbe-  
cillitate, sed tantum misericordia tot in-  
nocentum hominum, quorum sanguis in-  
digne fundatur, pacem petere: ac condi-  
tionibus in congressu legatorum acturum  
esse. Destinatus igitur, exeunte nostro  
Septembri, colloquio de pace locus, in  
Danubij insula infra Strigonium, quò  
cum à nostro Imp. Rodolpho Schvvar-  
zenbergius, Palfius, Nadafti ac episco-  
pus Vacciensis: à Turcico Serdar seu



C V M T V R C I S.

Generali exercituum præfecto, Amurates novus Bassa Budensis, & Tatari Chanis locum tenens, & alij venissent: Turci Iaurinum seu RABAM, Strigonium, Fillek, Setchin, & omnia cetera oppida, à nostris intra quinquennium occupata, sibi restitui; & quotannis tributum, suo Cæsari Constantinopoli pendi, & Oratorem in Porta Turcica assiduum alii petiuerunt: Nostro Imperatori vicissim Agriam offerentes. Ad extremum verò, cum Rabam & Agriam se Imperatori relicturos ostendissent, si modò STRIGONIAM redderetur: cum ne id quidem impetrassent, pace infecta discessum, & bellum instauratum est. nec tamen quicquam memorabile, quod ego sciam, hoc anno perfectum. Nisi puod Michaël V Valachia inferioris princeps, Cæsari Rudolpho fœderatus, insidias vitæ suæ in aula Turcica strui à Cardinale Batthoreo didicisset, exercitum in Transyluaniam duxit, & propè Cibinium commissa 23. Octobris pugna, Cardinalem profigavit, totamq; Transyluaniam sua virtute recuperatam Imperatori Rudolpho resti-



DE PACE ACTIO.

restituit. Quā insignē victoriā Imperator Rudolphus ipse principibus Imperij ex eunte Nouembris per literas significauit.

Germanorum principum, quos supra nominavi, copiā, quarū Dux, Simon comes Lippensis, V Westphalici circuli, in quo bellum gerebatur, præfectus erat: ad Rhenum mease Julio tandem procedentes, munitiunculam in insula Rheni contra Reinbergam expugnant, & mox, relicta hostibus Reinberga, Embricam descendunt, vbi introducto præsidio, aliquot hebdomadas otiosi desident, ac inter se dissident: quōd alij palām se coniungere Hollandis, aduersus Hispanos: alij tantūm occupata in solo imperij oppida, siue ab Hispanis, siue Hollandis tenerentur, recuperare, & neutri se parti addicere cupiebant. Cū igitur Ducis Brunsvyicensis Legatus, PHILIPPUS ab Hoenloh, Hollandis olim militans, & alij, Duces ac præfecti, cum Mauritio comite Nassouio, adiunctis aliquot ordinum deputatis, collocati essent, & oppida aliquot Cliuix ab ijs detēta recepissent, Ceteri verò principes & ciuitates,  
Belgia



BELLVM AD RHENVM.

Belgis seu Hispanicæ ditioni proximæ, Neutrales manere vellent; Colonienfes, Leodij, Iuliacenfes, Aquisgran. Treuir. fe ab illis feiunxerunt. ac Iuliacenfes foli, ex decretis conuentus Confluentiæ factis, quibus leges fœderis & belli gèrendi præfcriptæ erant, aliquot articulos à Germanis violatos effe quærebantur. Ideoq; ad fumptus belli contribuere amplius recufarunt.

Tandem propius ad oppidum Rees, quod Hispanico virorum fortium præfidio tenebatur, accedunt, & machinis oppugnare incipiunt. Sed initio Septembris, die nebuloso, in Heflos negligentiùs excubantes, imprefione facta, multos trucidant, vnde trepidatio in toto exercitu iam antè difcordi, orta, occasione difcendi ab obfidione, & prorfus diffipandi copias Germanicas præbuit, cum quidem paffim in oppidis & pagis, quos antea tranfierant, plures & grauiores querelæ, de militũ Germanorum ferocia, Iniurijs & rapinis, quàm de Hispanis ipfis paffim exaudirentur. Adeò virtus & difciplina militaris antiqua apud Germanos,



F R I S I A.

manos exoleuit, de quo plura verba non  
facienda sunt. κακῶν ἀπ' ἐγῶν, οὐκ ἐπιβ' ἐσίμ  
καλά.

Calendis Martij, EZARDUS, orien-  
talis Frisiæ comes, post insuaues & tur-  
bulētas cum subditis suis ac ciuitate Em-  
denfi, multorum annorum controuersi-  
as, tandem in portum tranquillitatis &  
quietis, ex his terris euocatus, peruenit,  
relictis quinque filijs, Ennone, Gustauo,  
Ioanne, Christophoro & Carolo, ex qui-  
bus, gubernationem patriæ, ENNO pri-  
mogenitus, hætenus Esenæ Dominus,  
suscepit. qui agitatas inter patrem & pro-  
uinciales ac Emdanam præcipuè urbem  
disceptationes & lites, ex equo & bono,  
cedens aliquid de suo & maiorum iure  
& possessione, componi passus est, rece-  
pta Transactione DE LFZILENSE,  
Cæsaris Rudolphi autoritate ante qua-  
driennium confirmata, & Iudicio pro-  
uinciali constituto, in quo causæ subdi-  
torum inter se mutue, & cum comite, co-  
gnitæ, deciderentur: & consistorio sa-  
cro, cui Embdenses & reliqui comita-  
tus ministri aliquot Præsidentes, ecclesi-  
asticas



P A X R E L I

asticas & matrimoniorum controuersias dijudicarent. Adfuerunt autem Ennoni & fratribus, in hac actione, Iohannes Fridericus Archiepiscopus Bremensis, Adolphi Holsatiæ Ducis filius, ( cuius soror Ennoni nupta erat, ) & Christina, Adolphi Holsatiæ Ducis vidua, Ennonis socrus, Pax Embdæ, exeunte Septembri summa cum ciuitatis & prouincialium lætitia & gratulatione promulgata est.

PAX RELIGIONIS GALLICA,  
Edicto Henrici quarti Gallia & Nauarræ regis, mense Februarii Lutetiæ promulgata est, & 29. articulis comprehensa. Quibus præcedentis edicta de libertate religionis explicat, interpretatur & moderatur. Primum *ἀμύσιον* omnium præteritarum offensionum, excessuum & malorum sancit. & iniurias, exprobrationes an vindictam prohibet. Deinde Catholicam Romanam religionem, ubiq; in regno instaurat, & ecclesiasticos *ἱεῖς καὶ κληρὸς* declarat & agros, decimas, ædificia, & templa restituit, in quibus reformatis religionem suam exercere omninò prohibetur. Quæ reformati  
solo



GIORNI GALI

solo ecclesiastico inædificarunt, ecclesiastici ement vel iustum pretium sibi profundo solui patientur. Quæ verò in munitiones vrbium vel artium cesserunt, sine iussu regis nec repeti nec destrui poterunt.

*Reformatis, libertatem conscientie absque vlla inquisitione vel molestia in toto regno rex concedit. Liberum etiam reformatæ religionis exercitium Dynastis & nobilibus, qui plenum feudum cum iure gladij possident, publicè: ceteris nobilibus ius gladij non habentibus tantum pro familia propria permittit. & ubicunq; illud in regno, annis 1596. & 97. fuit, & ubicunq; vigore edicti pacis anni 1577. restitui debuerat, elementer relinquit & instaurat, reseruat tamen transactionibus, priuatum cum principibus Catholicis & vrbibus ac regulis antea factis.*

*In aula regia, & Lutetia, ac intra quinque milliaria in circuitu, reformatis exercitio publico interdicit, ita tamen, vt conscientie libertatem sine vlla molestia retineant. In exercitu, solis prefectis militia, eiusdem religionis, at extra locum hospitij regij, tolerat.*

Mini-



P A X R E L I

Ministros ecclesie, lectores, & alios concionatores iubet à seditiosis sermonibus abstinere, eaq̄ solum docere, quæ ad alendam pietatem, timorem Dei, fidem ac obedientiam erga Deum & magistratus, in animis auditorum edificandam, & stabiliendam pacem & tranquillitatem publicam, à rege decretam, conducunt. Reformatos à iuramentis, promissionibus & abjuracionibus religionis antea factis, absoluit. Diebus festis ab ecclesia Romana cultis, reformatos etiam laboribus rusticis; negatione & artibus mechanicis, quæ extra ædes audiuntur, exercendis, abstinere iubet. Libros reformatæ religionis nec imprimi, nec publicè vendi liceat, nisi ijs locis, ubi exercitiū permittitur. Famosi verò libelli ubiq̄ prohibentur.

In Academijs, Collegijs, Scholis, Xenodochijs, hospitalibus et publicis eleemosynis, sine respectu religionis quosuis admittit, sine ullis ceremonijs suæ religioni contrarijs, modo ordinarium pro introitu solvant, & iuramenta Deo tantum, non sanctis præstent. In contrahendis matrimonijs, gradus consanguinitatis & affinitatis ab ecclesia  
Roma.



Romana statutos observari: & decimas ecclesiasticas Romanis debitas, solvere vel redimere precipit. Gemiteria reformatis gratuito assignat. Exheredationes vero religionis causa factas, omnes irritas pronunciat.

Admittuntur etiam reformati & rehabilitantur, (ut eorum verbo utar) ad dignitates, officia & munera publica, tam in Parliamentorum curijs, quam alibi, si iuramentum de functionibus publicis fideliter obeundis praestent.

Articulo 30. & 27. sequentibus, de Iusticia administratione aequabili, inter utriusque religionis homines, in Parliamentis & alibi exercenda, prolixè disseritur. & in Parlamento Parisiensi, & alijs, Camera editi eriguntur, in quibus, Iudices è reformatis recepti, in causis, ubi reformati sunt partes litigantium, iudicant.

Omnia verò arresta, sententiae, processus, alienationes, venditiones, decreta & executiones contra reformatos, tam viuos quam mortuos, post Henrici II. regis obitum, causa religionis & tumultuum pretextu factae, abolentur, una cum insignibus, notis, & memorijs dictarum executionum & diffama-



P A X R E L I -

tionum, ipsiq; damnati vel illorum heredes  
in bona confiscata restituuntur. Similiter  
eos, qui bellum gesserunt vel absentes fue-  
runt, ob religionem durantibus tumultibus  
condemnati: eorumq; liberos rex in inte-  
grum restituit. Omnes etiam exules ob reli-  
gionem, vel extra regnum natos, veros &  
natiuos Francos & regnicolas declarat. O-  
mnibus prouincijs, urbibus & alijs locis,  
sua priuilegia, immunitates & iura, quæ  
habuerunt ante cæptos tumultus, mense Mar-  
tio anni 1585. & præcedentibus, reddit. O-  
mnes captiui ob religionem & relegati ad  
ergastula nautica soluentur. nec in publicis  
oneribus & contributionibus, reformati,  
grauius quam ceteri subditi prementur. De  
pecunia regia vel ex alijs ararijs publicis  
urbium & locorum, quicquid altera parti-  
um durantibus tumultibus recepit, de ijs  
planè quietà redditur. & ab omnib. armò-  
rum motibus rapinis, demolitionibus arcium,  
templorum, confæderationibus cum exteris,  
eorumq; in regnum introductionibus, post  
mortem Henrici II. factis, & ab omnibus  
conuenticulis, impositis exactionibus, desti-  
tatis administratoribus absoluantur. Ra-  
tiones



G I O N I S G A L L I.

*tionem etiam acceptorum & expensorum, apud reformatos reddite, probantur, nisi falsas apochas eos habere constet. Renunciabunt autem posthac reformati omnibus fœderibus & practicis, intra & extra regnum in fraudem huius edicti institutis, nec militiam citra regis voluntatem & mandatum conscribent. Omnes prædæ mari vel terra in bello captae & iudicio Admiralis adiudicate, relinquuntur ijs, qui possident. Quæ verò contra ius & disciplinam belli, privato furore ablata vel abrepta sunt, propria auctoritate collecta vel exacta, iuridicè repeti poterunt. Mœnia urbium seu locorum destructa consensu regio instaurare licet. In summa, omnes reformati ad omnia sua bona, iura, famam & actiones redibunt, & omnia præcedentia edicta iussa, rescripta, articuli, declarationes, interpretationes, arresta & registrata, in negotio religionis, presenti edicto aduersantia, abolètur. Quòd se observaturos esse omnes præfecti, gubernatores, delegati, iusticie præsides & ceteri publica officia gerentes, iurabunt. Datum apud Nannetes, mense Aprili, Anno 1598. in curia verò Parlamenti Parisiensis promulgatum, 25. Februarij, Anno 1599.*



TRANSYLVANICA.

Epistola CASPARI HOR-  
VAT ad Polonia Regem, de Cardinalis  
ANDREAE BATHOREI clade,  
in Transylvania accepta die  
Simonis & Iudæ.

S Acra ac serenissima Regia Mtas, Dn.  
domine clementissime. Mandauerat  
mihi Mtas vestra, vt si quidpiam certi,  
de Illustris. dno Cardinale & præsentis  
Transylvaniæ statu acciperem, id Mti  
Vestræ confestim perscriberem. Itaq; sta-  
tus rerum illic gestarum, in quantum in  
earum cognitionem peruenire potui, hic  
est. Valachiæ Transalpinae Palatinus,  
maximo exercitu in Transylvaniam re-  
pentè ingressus cum fuisset, ferroq; ob-  
uia quæq; vastaret, ac eadem pariter fa-  
ceret horribilem, quo ad copiæ Illustris.  
Cardinalis confluerent, hostiq; occurre-  
rent accidit vt Corona, (vulgo Brasso)  
ciuitas ampla, item Fogaros arx, ipsi sese  
dederent: vnde Michaëli Albam Iuliam  
versus celeriter profecto, sexto citra Fo-  
garisium miliari, Illustrissimus Cardi-  
nalis ad Cibinium, inter Saxones ciuita-  
tem



TRANSYLVANICA.

tem amplissimam, cum copijs, quas temporis angustiae permiserant congeri, hostibus occurrit, Cumq; non longius, quam medium iam milliare à se inuicem abessent, obfides sibi mutuo miserunt. Ad hæc Cardinalis Illustrissimus, Dominum Malpasinam ad Palatinum miserat, vt ex eo, quidnam vellet, intelligeret; Palatinus re ad posterum diem dilata, spem aliquam tractandi, & suæ voluntatis declarandi præbuit. Interea temporis facto impetu, exercitum Transylvanicum, qui aderat, fudit. vbinam locorum ipse Illustrissimus Cardinalis sit, rescire adhuc nequeo. hoc tamen pro certo intelligo, illum ex loco prælij, saluum abiisse, & certis quibusdam circumstantijs ductus, credo etiam ipsum seruatum; ex via verò, quam ingressus fuerat, conijcio, per Moldauiam transitum facere Dominum Stephanum Bathori, Ioannem Offin, Stephanum Czakij, Ladislaum Gyrelaffij, Ioannem Szint Palij, nonnullosq; alios ex primarijs nobilibus conglobatos, in Poloniã versus iter facere rumor est, quo pacto iter illis plenum infidijs succedat nescio.



T R A N S Y L

Quos in prælio desideratos intelligo, hi sunt; Stephanus Godonij, Stephanus Tholdi, Consiliarij, Moyses Zekel, cuius egregia opera, D. Rex Stephanus in omnibus bellis usus est, Petrus Gitzy, olim Ioannis Gitzy Gubernatoris Fransiæ frater. Commissum est prælium, die festo SS. Simonis & Iudæ.

Habeo hæc ab eo, qui pridie confictus vesperi, ex castris Domini Cardinalis exiuerat, quæ, idem, diebus postea subsequen-  
 tib; ex diuersis fugientibus, vno eodemq; tenore intellexit; qui in Hungariam properans, Stephanum Botzkay, aliquot cataphractorum millia, & exercitum Hungaricum in Fransiam prope-  
 re ducentem, obuium habuit, qui sanè, nec dum scimus, quali nam sint vbi ingressu, cum Illustrissimus Cardinalis patrem copiarum, ad arcendum exercitum, si quis ex Hungaria irrumperere vellet, intra fines collocatam habuerit. Quod si his vel plura, vel certiora, intellexero, ea ad Maiestatem vestram sine mora perscribam. Quod reliquum autem est, Maiestatem vestram felicissimè valere & flo-  
 rere



V A N I C A.

rere desidero. eidemq; seruitia mea humilima supplex defero. Datum Bochniæ 10. Nouemb. 1599.

Regiomonte in Borussia, ciuis pius, prudens, iustus & in omni officio diligens, M A R C V S L A N G E R F E L D, cūm triginta annos Reipublicę patrię in administrandis Iudicijs seruiisset: initio huius anni die 11. Ian. vitam in his terris suam placido & beato exitu conclusit: relictus filio G E O R G I O, qui peragratis in Iuuentute præcipuis Europę Academijs & prouincijs, in hac etiam litoris Balthici Sarepta mecum olim familiariter vixit. cuius amicitię veteri tribuo, vt partem Genealogię ipsius hoc loco ascribam. Is nunc patris officium in Republica veteris vrbis Regiomontanę administrat.

Marcus



LANGERFELD.

Marcus Langerfeld

Petrus Senator & Iudex veteris  
urbis Regiomontane

---

Hierony- mus, Se- nator El- bingensis obijt 1577.	Petrus ciuis Re- giom.	Adrian præfectus templi	MARCVS nascitur 1536. obijt 1599.
---	------------------------------	-------------------------------	--


---

GEORGIUS Assessor Scabi- norum	Tobias adhuc in Academijs studiorum causa viuit.
--------------------------------------	---


Dum Cardinalis Andreas Bathori, episco-  
pus VVarmienfis in Borussia; traditam sibi à  
patruelo Sigismundo Transylvaniam tenuit:  
Sigismundus prior Transylvaniæ princeps,  
octo illis mensibus in Episcopatu VVarmien-  
fi ferè commoratus est; & subinde, mutato ha-  
bitu in vicinas vrbes, Dantiscum & alias eue-  
gatus. Nuncio autem huius cladis accepto,  
clam inde discedit.

Comitia in Polonia ad 30. in Suecia verò  
Stocholmiæ ad 20. Ianuarij, sequentis anni  
1600. stylo veteri, indicta esse scri-  
buntur.












16 3187



(X 2220816)

M. 11









*Anni proximè elapsi*

M. D. XCIX.

*Euentus aliquot memorabiles*

ANNOTATI

*A*

*Dauidе Chytræo.*



M. DC.

1103

